



2

## PRAEFATIO.

Quam in hisce elementis elucubrandis  
viam ac rationem sequutus sim,  
paucis vos, Optimi Iuuenes! putaui edo-  
cendos. Metaphysica, vt vera sit, quae  
esse dicitur, principiorum generalissimorum  
scientia, tales etiam doctrinas stabilire de-  
bet, quae non solum philosophiae, sed om-  
nis in vniuersum scientiae tanquam funda-

( 2 )

menta

menta sint. Ex quo efficitur, primo, ut,  
quae sunt omnibus rebus notiones commu-  
nes, quae earum relationes, explicit: dein-  
de, ut praecipua rerum genera recenseat.  
et, quae de iis vniuersim praecipi possint,  
inuestiget: denique, ut leges Cosmologicas  
exquirat. Atque haec omnia tribus capit-  
ibus complexus sum. In iis autem pertra-  
ctandis ea mihi conuenientissima visa est ra-  
tio, quae primum singularium notionum ori-  
ginem scrutetur, tum omnium inter se ne-  
xum, ex quo, quid vnaquaque alteri de-  
beat, intelligi possit. Quo ipso perduci ne-  
cessere est ad prima quaedam, quibus alia  
nituntur, iudicia, naturae, inquam, iudi-  
cia, quae non die, ut opinionum com-  
menta, delentur, sed sensu omnibus com-  
muni confirmata. Nihil praeterea statui arbi-  
trarium, nihil, quod non satis exproratum  
sit. Haec tamen nolite sic interpretari,  
quasi omnia, in quae Metaphysici solent in-  
quirere, quaeque suis locis indicata sunt,  
perspicua et indubia esse existimem. Nem-  
pe,

pe, vbi verum cognoscere negatum fuit,  
 cognitionis humanae limites, errorumque  
 fontes notandi erant; quo magis sibi quis-  
 que a temeritate ac praecipitanter iudicatis  
 opinionibus caueat. Ieiunas et frigidas alio-  
 rum argutationes omisi, quas, quotus-  
 quisque est, praesertim hac aetate nostra  
 politiore, qui requirat? si quis autem requi-  
 rit, vbi non inuenerit? cauendum enim  
 omnino erat, ne libelli magnitudo cresceret.  
 Et sane philosophia non tam in aliorum  
 praeceptis ediscendis posita est, quam in  
 mentis vi exercenda, et subtilitate iudican-  
 di, ac ratiocinandi contrahenda, quod nemo  
 consequitur, qui non ipsi sibi incipiat fi-  
 dere, rebusque perpendendis mature ad-  
 fuescat. Animus quidem erat, breuem Me-  
 taphysicae historiam subne<sup>c</sup>tere; at quum in  
 ea elaboranda animaduerterem, historiam  
 Theologiae naturalis ab ea aegre diuelli  
 posse, incepturn opus alii tempori ac loco  
 destinaui. Vix est, quod stili veniam ro-  
 gem: quis enim notiones magna ex parte

in Europae barbarie natas , atque apud  
barbaros adultas latina semper oratione ex-  
plicauerit ? vt nihil dicam , ipsum Meta-  
physicae nomen a graeco fonte male detor-  
tum esse. Ceterum facile intelligitis , hoc ,  
quidquid est laboris , me non gloriae cuius-  
dam captandae (quae enim ingenii gratia a  
rebus metaphysicis sperari possit?) sed ve-  
straे vtilitatis caussa suscepisse. Neque enim  
vllum mihi erit molestum onus , quod non  
vestri caussa prompto atque alaci animo  
sim subiturus. Vestrum erit fauere hisce  
conatibus meis , atque ita rationes vestras  
componere , vt et meae mihi , et vobis ope-  
rae vestrae ratio constet , Valete.

CAPVT